

- 7 Nec absque manifesta divinatione cavillari possunt, vel ad certam speciem restringi, illorum potius rationes generales sunt, & generaliter accipiende.
- 8 Text. in dict. l. hereditas 53. ff. de petitione hereditatis, male expendi communiter, nec probare sententiam relatum supra, num. 2. prout hoc num. concluditur, & verè ostenditur.
- 9 Hereditas nomen juris est, & ab ipsis rebus hereditariis separatur.
- 10 Antonij Gomez. distinctionem adductam supra, n. 3. ad propositum hujus questionis non rectè accommodari, verè, & novè probatum ab Authore.
- 11 Fulgosi, & aliorum opinio precedenti contraria, scilicet testari non posse eum, qui nulla bona reliquit, neque ejus hereditatem dici posse, refertur, & ab Authore magis probatur.
- 12 D. Spino non percepisse verum intellectum l. hereditas, 53. ff. de petitione hereditatis, nec convenire ejusdem interpretationem rationi illius legis, nova Authoris consideratio in hac materia, & infra, num. 27.
- 13 L. hereditas, 53. ff. de petitione hereditatis, verus traditur intellectus, & num. seq.
- 14 Hereditariae res, antequam heres adeat, verè in nullius bonis sunt.
- 15 Verè enim dominium testatoris, morte ipsius fuit dissolutum.
- 16 Sed attenda juris fictione, per quam in locum defuncti hereditas succedit, res hereditariae in alicujus bonis videntur esse.
- 17 Idque velut necessitate cogente, à jure statutum fuisse, prout hoc num. adnotatur, ubi ratio redditur.
- 18 Author in hac materia infert noviter ad nos nulla, quae per aliquem haecenus sic adnotata non erant, & num. seq.
- 19 Angeli, & sequacium sententiam veram non esse, nec probari per textum in dict. l. hereditas, & contrariam Fulgosi, probabiliorè videri, & Authore magis placere.
- 20 Joannem Corrasium rectè intellexisse istam materiam, multa tamen praetermississe, quae ab Authore adnotantur.
- 21 Deceptos communiter Doctores, qui verba dict. l. hereditas, ad corpora hereditaria retulerunt, cum ad jus tantum referre ea debuissent.
- 22 Effectus nonnullos in proposito hujus materiae ab Antonio Gomezio consideratos, habere locum non posse, si verè testatore defuncto nulla bona, aut jura remanserint.
- 23 Glossa interpretatio evidenti ratione convicta.
- 24 Costani observatio quaedam in hac materia ponderata, & probata per Authorem.
- 25 Hereditatem proprie dici, cum testator bona, aut jura reliquerit, licet aere maximo alieno oppressa, & num. seq.
- 26 Francisci Costani opera integrè, atque attentè praegisse, nunquam Authorem punitebit.
- 27 Doctor Spino quare supra num. 12. arguitur, & notatus fuerit ab Authore.
- 28 Testari de jure communi, quare inductum sit, cum dispositio in tempus inhabile conferatur, quo dominium bonorum suorum testator jam omisit, & numer. sequenti.
- 29 Testandi facultatem, multis de causis inventum fuisse, reniisive.
- 30 Testandi facultatem, ex gratia potius competere, quam vero jure, ex sententia Guil. Bened.
- 31 Vel de aequitate juris, non de subtilitate, vel de gratia, ex sententia Belloni, quae ab Authore probatur.
- 32 Hereditas jacens, imaginaria, sive ficta quaedam persona est, in qua continuatur magis, quam finitur jus defuncti.
- 33 Hereditas jacens dominium retinet, & obligationes.
- 34 Belloni lectura, circa dubium propositum supra n. 28.

- comendatur per Authorem, & vide etiam Joan. Omotonum, hoc num. relatum.
- 35 Ruini, & Parisij opinionem maxime destruerè resolutionem traditam supra, numeris praecedentibus.
- 36 L. peculium nascitur, ff. de peculio, explicatur.
- 37 D. Petri de Barbosa resolutiones in proposito hujus materiae, qualiter intelligi debeant ex sententia Authoris?

Papinianus Jureconsultus lib. 7. quæst. relatus in l. hereditas, 53. ff. de petitione hereditatis in hunc modum scribit: Hereditas etiam sine ullo corpore juris intellectum habet. Ex quibus verbis communiter deducere, sive adnotare solent Doctores, eum, qui nulla bona reliquit, neque corporalia, neque incorporalia, testari posse, & heredem scribere, & ejus hereditatem non improprie dici, & consequenter hereditatem durare, sive consistere posse sine rebus in quibus consistat, vel etiam si nihil omnino in hereditate sit: quod ex illo textu non dubitantur probare Angelus, & Castrensis ibidem, idem Angel. in consil. 179. col. 3. Paulus etiam in l. irritum, num. 1. C. ad legem falcidiam. Jason in l. 1. num. 83. ff. de legatis 1. Romanus in l. stipulatio hoc modo concepta, num. 36. ff. de verborum obligat. Alciatus in l. nihil aliud, num. 7. ff. de verborum significatione. Rebuffus in l. hereditas 1. ejusdem tituli. Ripa in rubrica ff. soluto matrimonio, num. 44. Peralta in rubrica, num. 86. & in l. 3. §. finali, num. 87. ff. de hereditibus instituendis. Cognolus, dicens hanc esse magis receptam sententiam, in l. hereditas ff. de regulis juris Franciscus Connanus commentariorum juris civilis, lib. 10. cap. 5. num. 1. vers. at Jureconsulti. Silvester Adobrandinus in consil. 107. num. 4. vol. 1. & in eum sensum expendit text. in dict. l. hereditas. Antonius Gomezius in l. 3. Tauri, num. 17. in princ. qui tamen non simpliciter transit cum hac sententia, distinguit potius, doctrinam aliorum Authorum, quos ibi refert, excitatos, ut scilicet is, qui nulla bona habet, nec habere potest ad ea, & potentia, testari non possit; ille verò, qui de facto nulla bona habet, tamen potentialiter potest habere, testari possit; & ex hoc dicit resultare notabiles effectus, quos ibi adducit: & eandem distinctionem probarunt, atque praefata doctrinam explicarunt textum in d. l. hereditas, idem Antonius Gomezius in l. 4. Tauri, num. 4. Matienzus in l. 3. tit. 4. glossa 7. num. 1. & 2. lib. 5. novae collectionis Regiae. Doct. Spino in speculo, glossa rubric. 14. part. num. 20. & 21.

Verum enim verò, si verum amamus, & mentem Jureconsultorum attentè percipimus, neutra sententia probari potest, non prima, idque ex verbis Jureconsulti, in l. nihil aliud, ff. de verb. significat. ibi: In universum jus, quod defunctus habuit. Quæ insinuate videntur aperte, oportere aliquid esse id quo succedatur, vel succedi possit, ut hereditas dici possit. Nec satisfacit quorundam solutio dicentium, non ideo minus succedi in jus defuncti, quod ille nulla bona reliquerit; nam adhuc in illius jus, tale quale fuit, succeditur, & ejus persona repræsentatur, per quam repræsentatione una persona efficitur cum testatore heres ipse, ut vulgatissimum est, repræsentationemque, non bona sed aditio facit, ut prædictam solutionem non obscure præsentens advertit Anton. Gomez. in dict. l. 3. Tauri, num. 17. in princ. Quia ultra alios in proposito scribentes verè quidem responderi potest negari non posse, quin heres in jus defuncti, tale quale fuit, succedat, & ejus personam repræsentet; tamen non ideo excluditur, oportere aliquid jus esse, sive aliqua bona, aut jura extare, ut hereditas dici possit, aliàs si nulla bona sint, nec jus aliquid invenitur, in quo successio dari possit, quo pacto aut jure hereditas dici poterit? Nec interest dicere, quod repræsentationem aditio facit, & non bona; si enim nulla bona aut jura sint, quantumcumque defuncti persona repræsentetur, non inde sequetur hereditatem dici posse, nec in consideratione haberi debet aditio, quæ nullum jus potest transferre, ut inde hereditas dicatur proprie, argu. text. in l.

- in l. cum heredes ff. de acquirenda possessione, quam pro se adducit Anton. Gomez. loco & in m. relatis supra. Sed contra eum potius retorqueri debet, ut indicant manifestè verba illa: Cum heredes facti sumus, omnia quidem jura ad nos transeunt, possessio autem, &c.
- 6 Secundo, eadem sententia aperte convincitur ex text. in authent. ingressi, C. de sacrosanctis Ecclesiis, ibi: Ut pote nec domini verum: l. hereditatem 37. ff. de hered. vel act. vend. l. consiciuntur, §. si post factum testamentum, ibi: Et de alienis quodam modo rebus testatur: ff. de jure codicil. jur. cta Glossa verbo, testatur, ibidem, l. lex Cornelia, ff. de vulg. & pup. substit. in versic. si vero vivo patre, in illis verbis: Quota non efficitur per eam, ut is, qui nulla bona in civitate reliquit, heredem habeat: quæ jura cavillari non possunt, nec absque manifesta divinatione ad certam speciem restringi, utpote cum eorum rationes generales sint, & generaliter accipiendæ, quasi eò tendentes, ut ipsis sic prolatis ostendere velint legislatores, dominia rerum non habentes, sive nulla bona possidentes, sine effectu testari, tanquam si de rebus alienis testarentur; aut heredem habere non posse eos, qui nulla bona habent, nec eorum hereditatem dici posse proprie, aut juxta communem usum loquendi intelligentes, qui nulla bona reliquerunt.
- 8 Tertio convincitur ex text. in dict. l. hereditas 53. ff. de petitione heredit. quæ relatum sententiam nullo modo probare potest, quoniam ejusdem legis ratio, & decisio procedit etiam eo casu, quo defunctus multa bona reliquit; nam & tunc hereditas dicitur nullum habere corpus; & diversa esse à rebus hereditariis: hereditas enim nomen juris est, & ab ipsis rebus hereditariis separatur, ut Bartol. & communiter alii Doctores tradiderunt in rubrica ff. de acquir. hered. & post alios receptam sententiam proficitur Mich. Graf. recept. sentent. §. hereditas, quæst. 1. num. 2. Connanus commentariorum juris civilis lib. 10. cap. 5. in principio, ubi eorum sententiam non probat, qui res hereditarias pro ipsa hereditate posuerunt. Antonius Gomezius in dict. l. 3. Tauri, num. 17. in fine, qui eo loco, rectè ex communi adnotavit, regulariter post mortem alicujus defuncti, aliud esse hereditatem ex testamento, vel ab intestato, aliud esse aditionem hereditatis, quam facit heres, aliud esse bona ipsa vel res hereditarias: in quo amplius hic insistentium non erit, sed statim repetendum ad explicationem text. in dict. l. hereditas.
- 10 Deinde secunda sententia, sive distinctio Antonij Gomezii, & aliorum, de qua supra, num. 3. ad nostrum propositum accommodari non potest; nam etiam concedamus, testari posse, & heredem scribere eum, qui nulla bona habet, habere tamen in futurum potest: adhuc verum erit, hereditatem dici non posse, nisi res aliqua, aut jura dentur, in quibus succedi possit, nec ex eo quod talis testamentum faciat, & sine aliquo corpore heredem habeat, sequetur inde quod hereditatem habeat, si nihil omnino in bonis remaneat, cum hæc diversa sint, ut subtiliter, & verè quidem consideravit Joannes Corrasius in princ. l. qui liberos, num. 25. vers. nec quicquam, ff. de ritu nuptiarum Ultra quem non male expendi potest textus in l. mortuo, 23. ff. de fidejussoribus, ubi Florentius Jureconsultus, municipii & hereditatis equiparationem facit; & sic quemadmodum municipium sine hominibus non consistit l. sicut, §. finali ff. quod cujusque universitatis nomine: ita neque hereditas sine rebus hereditariis; utcumque ergo res sit, si is testatus fuerit, qui nihil habet in bonis, nec aliquid in jure reliquit, testatur in effectu, sive heredem habere non videbitur, nec ejus hereditas proprie dici poterit: unde non defuerunt Authores alii, qui à communi errore discedere, & contrariam sententiam libentius amplecterentur, scilicet testari non posse eum, qui nulla bona reliquit, neque ejus hereditatem dici posse; sic enim rectius existimant Fulgosi in dict. l. hereditas. Zafius in l. si post litem, num. 9. ff. de exceptionibus, Joannes Annibal in rubrica, ff. soluto matrimonio, num. 440. Corrasius in

princip. l. qui liberos, ff. de ritu nuptiarum, videndus ex num. 23. vers. quodam vero sunt. Doctor Spino in speculo testamentorum, glossa 33. mon. 11. qui tamen licet hanc partem sequutus sit non percipit rationem, aut verum sensum dict. l. hereditas, nec illi textui convenire potest ejusdem Authoris interpretatio, quamvis ipsius doctrina in se vera sit, ut mox dicitur: quapropter planus erit, & verus intellectus illius textus, prout ibi traditur, hereditatem solo juris intellectu consistere sine ullo corpore, quia est jus incorporale ab ipsis rebus hereditariis distinctum, ut antea dicebam, & luculentius apparebit, constituendo in primis res hereditarias antequam heres adeat, verè in nullius bonis esse; id quod expressè docet Cajus Jureconsultus lib. 2. Instituit. relatus in l. 1. §. 1. ff. de rerum divisione. Verè enim dominium testatoris morte ipsius fuit dissolutum cum mors somnia solvat, Authent. de nuptiis, §. deinceps, collatione 4. Sed attenda juris fictione per quam in locum defuncti hereditas succedit, res hereditariae in alicujus bonis videntur esse, aliàs enim solà veritate inspecta, secundum summam, & strictam juris rationem, bona testatoris deberent esse primò occupantis, l. 3. ff. de acquirendo rerum dominio l. 1. ff. pro derelicto, l. 48. tit. 28. partit. 3. Ex quo voluntates testatorum effectu care ent, contra rationem textus in l. 1. C. de sacrosanctis Ecclesiis, & mille aliorum jurium, quæ passim admittunt, voluntates testantium modis omnibus observandas esse; idcirco eodem jure constitutum est, ut post mortem cujusque, succederet ejus loco persona ficta, quæ defunctum repræsentaret, dominiumque rerum hereditariarum retineret, ne bona vacantia viderentur interim, dum heres adit, quæ ficta persona hereditas dicitur, ut satis aperte indicant nonnulla jura in proposito singularia l. liber homo §. 1. vers. si servus, ff. ad legem Aquiliam, l. denique §. quæsitum ff. quod vi, aut clam, l. quod servus, ff. de stipulatione servorum, l. 1. §. hæc autem, ff. si quis testamentum liber esse jussus fuerit l. ejus servum 64. ff. de hereditibus instituendis, l. hereditas 34. & 61. ff. de acquirendo rerum dominio, & tradunt Doctor Spino in speculo testamentorum, Gloss. rubric. 1. part. num. 17. & Glossa 33. principali, num. 9. & 10. Antonius Pichardus in rubrica, num. 15. & in §. servus etiam 5. num. 8. Instituit. de hereditibus instituendis. Papinianus ergo Jureconsultus non obscure hoc voluit in dict. l. hereditas 50. ff. de petit. hered. dum ait, quod hereditas etiam sine ullo corpore juris intellectum habet. Agit enim de hereditate, prout est persona ficta, quæ defunctum repræsentat, quæ juris intellectu agnoscitur, non oculis cernitur, sicut ea, quæ corpus habent; imò est diversa à rebus hereditariis, ut antea diximus, & observat Doctor Spino dict. glossa 33. num. 11. eaque differentia inter jus ipsum hereditatis, & res ipsas hereditarias expressè constituitur, in l. 1. vers. incorporales, de rerum divisione, & in §. unico, vers. sic. nec ad rem pertinet, Instituit. de rebus corporalibus, & incorporalibus, l. hereditas, ff. de verborum significatione. Ex quibus ad nonnulla noviter inferri potest, quæ in proposito contemnenda non sunt, nec ullus haecenus sic in terminis adnotavit. Et primò inferitur, Angeli, & sequacium sententiam relatum supra, num. 2. veram non esse, nec probari per textum in dict. l. hereditas, & contrariam Fulgosi probabiliorè videri, & multò magis placere. Secundo inferitur, Joannem Corrasium, loco & numero relatis supra, rectè intellexisse istam materiam, aut saltem dubii propositi supra ex num. 2. veram resolutionem assequutum esse; multa tamen silentio prætermississe, ex his quæ inferius adnotata traduntur. Tertio inferitur, lapsos fuisse Doctores omnes, qui verba dict. l. hereditas, ad corpora hereditaria retulerunt, cum ad jus tantum referre ea debuissent, ut superioribus ostendimus. Quarto inferitur, Antonij Gomezii doctrinam, aut distinctionem relatum supra num. 3. applicari non posse ad text. in dict. l. hereditas, ut antea dixi; & consequenter